# Dissertatio medica inauguralis de hepatitide ... / eruditorum examini subjicit Gulielmus Warden.

### **Contributors**

Warden, William. Woodforde, James Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Edinburgi: Excudebat Alex. Smellie, 1823.

### **Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/fj3e6epx

### **Provider**

Royal College of Surgeons

#### License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE HEPATITIDE.

STRANDSTRANDS MEDICAL DELECTION OF VALUE OF STRANDS

# HEPATITIDE

AND RATE SPRING DESIGNATION.

PATT BEFOREA THEOREM STATISSTER AS

# D GEORGII BAIRD, SS. T. P.

AUTHORITA ENGRESSEEN TRANSPORT

ion Gradu Doctoris.

annaharnes en adapt te balla krimaka krimaka anna.

VIDELESS SECURED PROPERTIES.

GULLELINGS WARDEN,

AUTOMORPH A PERSON ASSESSMENT NO.

Kalendia Jagonti, torsi Joneput Selvice

SOUDSBAR ALLS, SHELL

SPRINGERS NAMED IN

## DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

# HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

# D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

## Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

## GULIELMUS WARDEN,

Scotus,

IN CLASSE REGIA CHIRURGUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ALEX. SMELLIE,

ACADEMIE TYPOGRAPHUS.

1823,

PRESENTATIO MEDICA INAUGURALLS

In.

# HEPATITIDE;

AREA POR

PETERSON DESIGNATION OF A STREET OF STREET

# D GEORGII BAIRD, SA T.P.

AND THE RESIDENCE OF THE PARTY OF THE PARTY

AND DESCRIPTION OF THE PARTY OF THE PARTY OF THE PARTY.

gom Strain Doctoris,

CONTRACTOR OF STREET, STREET,

STATE OF THE ASSESSMENT

OUNTED BY ARDEN,

THE RESERVE AND ADDRESS OF THE PARTY.

NAMED AND DESCRIPTION OF THE PARTY OF THE PA

Allies topos and a second solution by

THE RESERVE OF THE PARTY OF THE

-1 30 300000

: LONGRESSES

TREE DESIGNATION OF THE PARTY O

VIRO FORTISSIMO,

## GEORGIO COCKBURN,

ORDINIS MILITARIS BALNEI NOBILISSIMI,

EQUITI GRANDI CRUCE DECORATO,

CLASSIS BRITANNICÆ SIGNO CÆRULEO INSIGNITÆ

PRÆFECTO LEGATO,

NECNON

SENATORI BRITANNICO, ET

UNI E PRÆSIDIBUS RERUM MARITIMARUM;

NON SOLUM

REI PUBLICÆ DECORI ET TUTAMINI,
VERUM ETIAM

VIRTUTIBUS, QUE CIVEM ORNANT, PRECLARO,

HANCCE DISPUTATIONEM

OB AMICITIAM IN SE COLLATAM,

ANIMO GRATISSIMO,

SUMMAQUE OBSERVANTIA,

D. D. CQUE

AUCTOR.

in autom our

GEORGIA EQUEENTES

GULIELIO BURNETT, M.D.

EXCEPTION OF THE PROPERTY OF THE PARTY.

OR RESIDENCE AND PARTIES AND THE

MADERIA THE RESIDENCE

THE PERSON NAMED IN COLUMN TWO IS NOT THE PERSON OF THE PE

di conti

AND DESCRIPTION OF THE PARTY OF

ON THE TRANSPOSITION AND STREET

SECURIOR PROPERTY

DESCRIPTION OF HE RELIEFING NO.

STREET, STREET

CENTRALE DESIGNATIONS

DESCRIPTION OF ME

RUPPULA

### VIRO EXIMIO,

## GULIELMO BURNETT, M. D.

MEDICO CLASSI REGIÆ,

ET UNI E CURATORIBUS MEDICIS AD

CLASSEM BRITANNICAM,

PRO TESTIMONIO EXIGUO

AMICITIÆ,

HOC OPUSCULUM

DEDICAT

GULIELMUS WARDEN.

TELLECTION OF ACTUAL OFFICE AND ADDRESS OF THE ACTUAL OF T

# GULLELMO BURNETT, M.D.

HERENTEEN, DE

CA STREET STREET WESTER AD

THE THE PROPERTY OF

the course of the control of the con

the contract of the special property of the special pr

## DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

## HEPATITIDE.

## PROŒMIUM.

In hac Dissertatione Inaugurali, observantia qua oportet, pauca de natura et curatione Hepatitidis conabor offerre, morbi inter plerosque adeo intellecti, ut nihil novi in lucem edere sperare possim. Nulla commenta theoretica vel longa, de indole et causa morbi, igitur proferam; quasdam observationes practicas tantum subjiciam.

Ex occasionibus ab observatione mea præbitis, penes me esse loqui existimo de ratione medendi nunc tam universaliter—et liceat mihi dicere, tam feliciter—in regionibus tropicis, in quibus morbus formam acutiorem induit, usurpata, simul cum commodo tractatione tempestiva et idenea derivando.

Non minus est mirum quam verum, vitia hepatis fere propria esse regionibus calidis, sed imprimis Indiæ Orientali, ubi ob quædam cælo peculiaria, cum calore aucto, morbus grassatur endemicè, Europæos nuper advectos summa vi adoriens.

Quamvis mihi accidit stipendia, per annos viginti, in partibus diversis orbis terrarum facere, sæpe ubi temperies, ut thermometro indicata, gradus octoginta per menses superabat, Hepatitidem Acutam raro vel nunquam vidi prævalentem, donec sors fuit mihi ad Insulam Sanctæ Helenæ, propter munus insigne publicum, pervenire; et si aliquid fuisset peculiare in cælo hujus insulæ, vel ex calore aucto, aliave causa locali oriens, quod conferri potest cum cælo regionum calidarum (ubi morbus sævissime grassari cognoscitur) vel revera utriúsque Indiæ,

nulla causa fuisset qua de hoc morbo præ aliis disserere vellem.

Temperies hujus Insulæ parvæ, mille et ducenta millia passuum ex aliqua terra continente distantis, gradus septuaginta et quinque raro excedit: etiam in vallibus, ubi radii solis sunt calidissimi, et calor potius infra quam supra hunc modum observatur, si aliquis montes ascendat ad altitudinem modicam pedum octingentorum, temperiem semper multum imminutam inveniet, Doctore Hope testante, gradu uno generaliter, pro singulis pedibus ducentis et triginta; sed, quantum e sensu meo judicare potui, imminutio duplex fuit.

Cœlum Sanctæ Helenæ ad illud Britanniæ, per æstatem, quam alicujus alius regionis tropicæ, magis appropinquat. Circuitus Insulæ viginti et octo millia passuum non excedit; altitudo e duobus millibus ad tria millia pedum existit. Fastigium, quo solum invenitur, gramine obducitur; sed in multis locis, ubi nulla vestigia hujus apparent, superficies torrida videtur. Temperies media est circa gradus sexaginta et quatuor. Altitu-

dine pedum sexcentorum ad illam septingentorum ædes sita est, cui nomen est Plantation,—domicilium præfectûs, ubi calor gradus septuaginta et duos raro excedit, vel infra quinquaginta et quinque descendit. Vicissitudo fuit occasionalis—et mihi liceat dicere, insignis—temperiei, nubibus a montibus attractis, et quæ radios solis intercipiunt, procul dubio referenda. Hanc oportet occurrere in omnibus locis montanis et insulis, ubi aqua et vegetatio deteguntur.

Sed quamvis cœlum salubre videretur, temperie calorem æstivum Britanniæ vix superante,
Hepatitidem Acutam conspexi, per omnia stadia
celeriter ad finem lethalem, priusquam indolem
mali probe investigaveram, pergentem. Hæc
corripuit quosdam comites navales Northumbriæ, ad sinum dictum Sandy occupatos, fretum
australe Insulæ, quo ad calcem vel arenam obtinendam profecti erant, et necessario ex nave
per multos dies continuos absentes, et igitur tunc
temporis auxilio medici carentes.

Plerumque observatum fuit, æstate quæ convenit hiemi Europææ pergente, illos in castellis in vallibus cum mari equalibus exstruendis, vel navibus aut scaphis, in superficiem aquæ, ubi radii solis sunt calidissimi, et calor igitur maximus est, exonerandis, occupatos, Hepatitide imprimis laborasse. Illi degentes vel subinde occupati in locis altioribus, ubi calor multo minor fuit, humiditate sæpe comitante, Dysenteria sæpius quam Hepatitide correpti sunt. Sed unus vel alter morbus, dum ego in Insula ex mense Octobris 1815, ad Junium 1816, versatus sum, ibi epidemice inter comites navales sæviebat. Ante-et, ut mihi videtur, summo jure-observatum fuit, illos ipsos, qui calori regionis tropicæ subjecti vitio Hepatis laborarunt, ad Europam redeuntes, animo elato quia cognatos revisuri essent, summum commodum ob commorationem in hac insula expertos esse. Multi quoque, a navigationibus longis reversi, malis scorbuticis afflicti, levamine haud parvo, ob victum vegetabilem et aquam puram hic copiose abundantem, gavisi sunt. Ex hoc volo dicere, incolas et diu commorantes in Insula, atque illos e regionibus calidis appulsos, valetudine secunda frui,

et illos tantum nuper a regionibus Europæis advenientes male se habere.

Hepar morbosum plurimis malis ortum præbere affirmari potest; origo quorum, ob symptomata obscura, aciem adstantis solertissimi et accuratissimi sæpe effugit, et pro tempore tum ægro tum medico haud suspecta latet. Quia de causa error sæpe existit, hinc ratio medendi haud idonea non raro usurpatur; et qui adit regiones quibus hic morbus est proprius, vitia hepatis plus attentionis et investigationis, quam plerique morbi qui genus humanum adoriuntur, postulare inveniet.

Supra dicta ad stadium chronicum quam acutum morbi magis pertinere dicantur; sed nihilominus hæc non aliena esse ab utrovis existimo. Dum symptomata stadii chronici mitia et haud magni esse momenti apparent, acuto summum periculum adest; quocirca, curatio celerrima et acerrima instituenda est. Dolorem lateris multo sæpius obtusum quam acutum, et aspectum peculiarem vultus, inter colorem plum-

beum et fuscum, valde insignem, symptomatibus Dysenteriæ raro absentibus, inveni.

### DEFINITIO.

Cullenus celeberrimus Hepatitidem in Classe Pyrexiarum, et ordine Phlegmasiarum ponit; eandemque sic definit:—

"Pyrexia; hypochondrii dextri tensio, et dolor sæpe pungens, pleuritici instar, sæpius obtu- sus; dolor ad claviculam, et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnæa; tussis sicca; vomitus; singultus."

Exaggeratio vix haberi potest, si dicam, non solum symptomata nervosa supervenientia, sed omnia fere quæ vitiis viscerum in regionibus tropicis adsunt, cum obstructione in Hepate quodammodo conjungi. In omnibus exemplis, cum bilis secretio aucta, imminuta, vel abnormis fuit, actionem morbosam in vena portæ existere, summa causa est suspicandi. Secretio intestinorum et aliorum viscerum modo simili turbatur; et signa diagnostica Dysenteriæ sæpe su-

perveniunt, et ad jecur, utpote organon imprimis vitiatum, referri possunt; et omnes, quibus accidit hepar morbosum curare, munera pulmonum interdum vitiata, tussim siccam, dolores pleuriticos, respirationem exercitatione levissima difficillimam et acceleratam, et haud raro palpitationem cordis, nonnunquam invenerunt. Non semel malorum testis fui, quæ pro Phthisi incipiente habebantur, per doses duas tresve calomelanos et jalapæ, attentione ad diætam et statum alvi eodem tempore adhibita, fugatorum.

Symptomatibus supra memoratis, varia nomina, quæ naturam suam indicarunt, imposita sunt, et rationes medendi pariter diversæ procul dubio usurpatæ fuerunt; quorum omnes ad eundem fontem—hepar scilicet vitiatum—referri possunt; et ab iisdem remediis plerumque tolli queant.

## CAUSÆ EXCITANTES.

Hæ visæ sunt esse, frigus ad regionem hepatis admotum, abusus liquorum spirituosorum, calor regionis tropicæ, ietus visceri externe applicati, agitatio summa, et calculi biliarii in ductibus fellis. In exemplis quibus mihi accidit Hepatitidem Acutam conspicere, causa excitans, tamen, maxime insignis, procul dubio fuit calor cœli; sed ratio qua hic, tempore memorato, talem morbum inducere potuisset, difficillime reddi videtur. Calor atmosphæræ, cum morbum symptomatibus suis propriis tam bene insignitum conspexi, multis gradibus fuit inferior eo, quem ad morbum inducendum, saltem ad eundem inter navales comites sanos, ex Britannia nuper appulsos, excitandum, necessarium esse, intellexeram.

Stadium acutum Hepatitidis mihi sæpe oblatum fuit; et in illis exemplis, quibus tempestive arcessitus sum, antecesserunt pyrexia, sitis, et cutis sicca, faciei decoloratio, colore vergente ad lividum vel fuscum, peculiaris et vix describenda, lateris dextri tensio et dolor, transversim epigastrium ad Hypochondrium sinistrum tendens, tormina, tenesmus, aliaque symptomata Dysenteriæ, revera diarrhææ, ex statu ejus lenis-

simo ad gravissimum, spasmus, et profluvium sanguinis. Plus doloris sub pressu in regione Epigastrica, quam in utrovis Hypochondrio, plerumque adfuit. De dolore sympathetico in definitione tradito, nempe " dolore ad claviculam " et summum dextri humeri," ægri raro questi sunt, et situm supinum ægro fuisse commodissimum constabat. Non semel observatum fuit, aliquo primum auxilium medici petente, tumorem subitum et circumscriptum in regione hepatis ortum fuisse; et quamvis summi conatus ad inflammationem occurrendam instituti fuerunt, eventum lethalem consecutum esse.

## DIAGNOSIS.

Morbos, quibuscum Hepatitis Acuta in regionibus Europæis—Pneumoniam scilicet et Gastritidem—confundi potest, memorare opus sit.

Sedes doloris, decubitus in latus sinistrum difficilis, tussis sicca, singultus, et haud raro dolor ad claviculam, et summum humeri, et icterus, Hepatitidem demonstrant. Dolor, contra,

in quadam thoracis parte, inspiratione plena auctus, respiratio difficilis, et sæpe non nisi trunco corporis erecto exercenda, et tussis plerumque humida, sæpe cruenta, Pneumoniam indicant.

Gastritis quoque signis sequentibus dignoscitur:—nimirum, anxietate, dolore urente, ingestis quibuslibet aucto, in epigastrio, vomitu, qui protinus ingesta rejicit, et rubore erysipelatoso aliquando in faucibus apparente.

Cum morbus sævit endemice, diagnosis fortasse supervacua esse videatur. In Insula Sanctæ Helenæ, gradu decimo quinto latitudinis meridionalis sita, longitudo diei per totum annum vix diversa fuit; in quibusdam partibus vallium, quæ insulam e parte septentrionali ad australem intersecant, opus est ut sol multum cursus sui persolveret, priusquam radii ejus imas valles directe afficiat. In valle Lemon nuncupata, ob profunditatem ejus, hora nona vel decima matutina præteriit, priusquam incolæ radiorum solis gratorum vim experti sunt; et hora quarta vel

quinta post-meridiana infra montem oppositumi ille jam descendit.

### PROGNOSIS.

De hac nihil habeo quod dicam, præter a Culleno celeberrimo tradita. Prognosis plerumque fausta est, si sanguinis missio, purgantia, aliaque remedia antiphlogistica, tempestive usurpantur.

### RATIO MEDENDI.

Ratio medendi, in Hepatitide Acuta usurpata, ab illa quæ chronicæ convenit, multum differt. In illa adsunt signa inflammationis vehementis, quæ sanguinis detractionem protinus postulant: In hac lanceola raro vel nunquam opus est; dolor localis, et plenitudo, sanguinem mittendo per cucurbitulas vel hirudines, levari possunt. Proprium fuit exemplis morbi quæ ipse vidi, quod hic juniores, sanos, et illos qui ob vitam suam actuosam, et victum parcum, ad vitia he-

patis minime fuerunt proclives, adortus est. Hic quoque juvenes, ut videretur, ad actionem ineflammatoriam, sed sine aliqua causa valida excitante adjecta, certe non ad Hepatitidem obnoxios, plerumque invasit. Hi multi fuerunt diversi ab illis qui diu in India commorati erant, vel qui regionem Europæam, facultate laute vivendi instructi, nuper viserint, et cœlo, temperies cujus illam, de qua agitur, gradibus viginti vel triginta superaret, subjecti.

Insigne fuit quod in exemplis morbi mihi oblatis, quibus adfuerunt vitium manifestum jecoris, rigores, pyrexia, pulsus durus, celer, et plenus, &c. neque observatus est ipse dolor, nec sensus præter solitum gravitatis, qui tali viscere insigni laborante, et demum in suppurationem desinente, ex natura expectandi sunt. Sensus molestus, multo sæpius quam dolor ipse, morbum insignivit; et non rarum fuit hypochondrium dextrum dolore immune deprehendere. Sed sæpe manu premente umbilicum, dolor non solum fuit vehemens, sed ubicunque sentiri visus est, ad claviculam et humerum dextrum interdum

tendens. Prope cartilaginem ensiformem usque ad umbilicum, cum sensu stricturæ propagatus, aliquando perceptus est; et hoc signum dolor torquens alvi, simul cum diarrhæa, comitatus est. Morbus sub forma magis incerta interdum prodiit, ægro de dolore torquente, fere nihil nisi limo dejecto, querente. Hæc symptomata ægro fuerunt molestissima, et igitur ab illo maximi momenti existimata; sed, investigatione facta, dolor adfuit regioni ventriculi; et in hoc stadio, tensio fuerunt et plenitudo. In stadio provecto, nixus et tormina nonnunquam erant molesta, muco et sanguine fere tantum demissis, tensio, et sine ope laxantium scybala et secretiones morbosæ.

Hydrargyrus remedium præclarum est in hoc morbo, et omni stadio ejusdem, acuto pariter ac chronico, convenit. In stadiis chronicis, tantum necesse sit hoc pro alterativo usurpare, donec os afficitur, eodem, signis vel recidiva postulantibus, postea resumpto. Si opus est, ut sæpe accidit, hydrargyrum cum aliis medicamentis conjungere, purgantia sunt anteponenda, et proxime his antimonialia. Sed opium in primis stadiis morbi, nisi in casibus gravissimis, ubi hoc necessarium sit ad dolorem levandum, pariter ac omnia medicamenta quæ secretionibus obstare valent, me judice, minime exhibendum est. In stadiis acutis morbi, sanguinis missio adeo necessaria fit, ut cunctatio vel unius horæ dolenda est. Eadem ratio medendi in Hepatitide Acuta, ac in Chronica, revera exercenda est; sed remedia pro vehementia morbi præ nobis acriter usurpari debent.

Quia morbo, qui prævalebat in Insula Sanctæ Helenæ, Inflammatio Acuta adfuit, qualis in accessionibus sporadicis Hepatitidis in Anglia subinde occurrit, curatio similis usurpata fuit: sanguis semel, bis, et sæpe ter, in spatio horarum viginti quatuor, in copia unciarum quatuordecim ad viginti, detractus fuit. Venæsectio signis urgentibus et speciei tunicæ coriaceæ albæ accommodata est. Dosis calomelanos in copia decem granorum ter indies, et sæpæ ad scrupulum aucta, toties intra horas viginti quatuor exhibita fuit. Hoc medicamentum usque ad gin-

givas affectas præcipiebatur, et salivationi inductæ morbus semper cessit. Purgantia simul cum Hydrargyro, quæ, intestinis libere depletis, omittebantur, initio conjuncta fuerunt. Plenitudine et molestia lateris perceptis, frictio cum hydrargyro diligenter exercita est, quæ per paucos dies vesicatoriorum locum occupavit. Effectum calomelanos in dosibus scrupuli exhibiti, ut certior essem num sensus molestiæ statim vel postea in ventriculo induceretur, sæpe invigilavi; sed in nullo exemplo querelam hujusmodi audivi, et ore affecto, omnia symptomata mitiora evaserunt. Tanta fiducia apud nautas de viribus summis hydrargyri, levamine certo a comitibus suis, quum primum os affectum fuit, percepto, valebat, ut nullo monitu subsequente curantis, inter medicamentum exhibendum, ut sæpe fit, opus esset: nam ingenium nautæ, cum attentio sedula ad medicamentum administrandum postulatur, mores infantis simulat. Quæstionem de effectu hydrargyri in dose scrupuli sumpti, dum viribus hujus nautæ prorsus fisi sunt, a me fuisse propositam, fateor. Me multum tribuere operi rum in regionibus tropicis—libro, qui locum debet habere in omni bibliothæca nautica—lubenter agnosco.

Exempla repetita recidivæ occurrerunt, quæ hydrargyro citius omisso procul dubio tribuenda essent. Casus infelix qui sequitur, et qui mihi fuit multo curæ, hanc sententiam comprobare inserviet.

Comes navalis, per longum tempus mihi notus, et qui impetui gravi febris biliosæ remittentis, in flumen Chesapeak in littus Americanum, duobus annis ante, superstes fuerat, Hepatitide Acuta hie correptus fuit. Munus ejus præcipuum eum ad radios solis meridiani subjecisse dicatur. Piscando in una ex scaphis navis, voluntate potius quam necessitate, quotidie occupatus est. Commeatus noster parcus fuit; necesse igitur erat piscari. Antehac, juvenis acer, et valetudine secundissima gaudens, non querebatur; quamvis, dum piscaretur, male per tres dies se habuerat, et cum questus est, morbus signa sua propria exhibuit. Decoloratio illa haud describenda fuit,

fluxu comitante, cum dolore vehemente lateris, et umbilico presso dolor summus fuit; pulsus plenus et celer, cum calore cutis et siti. Sanguis copiose missus est, et calomelas, modo supra dicto, exhibitum. Os die quinto affectum fuit, et symptomata eo usque mitigata ut medicamenta omittere visum fuit. Recidiva secuta est, et curriculum secundum hydrargyri effectus pariter faustos, ac primum, præbuit. Ter morbo correptus est, et ter convaluit, singulis vicibus sequentibus, ratione aucta hydrargyri ad salivam ciendam postulata. Octavo die post tertium impetum, dolore torquente, dejectionibus limosis, torminibus, tenesmo, et dolore lateris, laboravit. Quia felicitas fuerat nobis tribus morbi accessionibus prioribus occurrendi, eventum pariter faustum inducti sumus sperare; et quia ab initio morbi in gratia apud omnes plurimum valebat, ad hunc obtinendum pro virili parte nitebamur. Tempus quo os afficeretur, vel symptomata levarentur, et mihi et ipsi verisimile futurum esse videbatur. Hoc tam multum optandum, quamvis hydrargyrus perseverantia summa

fuit exhibitus, nunquam pervenit. Medicamento spem eludente, animus evasit demissus, et mortuus est ab omnibus desiderandus.

Quia hunc morbum et præfectui summo et inferiori Hepatitidem esse dixeram, conditionem veram jecoris comperiendi desiderium plurimos invasit. Hora septima matutina ab adjuvante experrectus sum, dicente cadaver hominis defuncti inspiciendo omnia esse parata. Adjutor cavum abdominis exposuerat, et quod jecur prorsus sanum fuerat miratus est. Adhuc memini quomodo hoc nuncio per momentum temporis perculsus fui; et mihi statim suggessit curam quam Doctor Monro defunctus celeberrimus in diagnosi ejus morborum semper exercuit. Dum nihil causæ fuit mihi dolendi de ratione medendi quam usurpavi, tamen, quia de natura et sede morbi cum tanta fiducia locutus eram, meipsum vituperavi. Agitatione animi haud parva ad cadaver inspiciendum perrexi; et primo intuitu quæ conspecta sunt nunciatum comprobare videbantur. Uterque lobus colore et magnitudine naturali fuit; adhæsio nulla alicubi visa fuit.

Dum de natura morbi incerti hærebamus, de causa mortis quæstio exorta est. Intestinis perscrutatis, quidam annuli colorati conspecti sunt; sed nihil fuit laxitatis texturæ, nec aliqua causa sufficiens, quæ, mortem hic a morbo inductam fuisse, sententiam comprobaret. Ante cadaver relictum, manum meam inter peritoneum, quod tegit parietes abdominis et portionem convexam jecoris, immisi, ut pro comperto haberem, num aliqua adhæsio ad diaphragma, necne, existeret; et jecore vi haud parva elevato, abscessus ruptus est, qui octarium puris sinceri continebat, et quod visum aliter effugisset. Ad radicem ipsam lobi dextri, ubi per ligamentum coronarium ad diaphragma connectitur, situm fuit. (Dawson, æger, die nonodecimo Junii Hepatitide correptus fuit, et vigesimo septimo Julii mortuus est.)

Quamvis casus, de quo agitur, observationi sequenti adversetur, exempla hujusmodi, me judice, magnitudine, textura, et colore naturalibus, rato observantur.

Sectionem cadaverum signa fallacia præbere aliquando dici potest; sed si aliquid viscus, præ

altero, incisione facta, indicia vera indicat, hoc jecur esse mihi persuadetur. Jecur magnitudinem immensam sæpe acquirit, latus sinistrum æque ac dextrum occupans, et supra tendens, adeo ut cavum thoracis magnopere imminuat. Vesiculam fellis et ductus plurimas mutationes subire-illam sæpe turgidam et ampliatam, hos inanes et imminutos-vidi. Aliquando hepar adipiscitur molem, nonnunquam imminuitur. Substantia ejus sæpe vitiatur, dum magnitudo mutatur. Colorem sæpe mutatum et texturam deletam exhibet. In nonnullis exemplis, tamen, post mortem, quæ ipse vidi, textura fuit compacta, parte morbosa excepta, neque portionis sanæ color multum fuit mutatus. Ulceratio interdum late serpserat-abscessus magnus interdum-unus de quo ante dixi, et aliquando plures detecti sunt; et intestina sanguinem inter tunicas effusum subinde exhibuerunt. Adhæsio, prout inflammatio partis peculiaris invasit, fuit diversa. Ad septum transversum, nunc, et alias ad parietes abdominis, et sæpe ad viscera ejus, propagata est.

Quidam ex his aspectibus morbosis, in omni exemplo quo eventus est infaustus, observatur; dum in aliis morbis, causa, quæ mortem induxisset, ope sectionis cadaverum frustra quæritur.

Cum tanta mala, ac supra tradita, accidunt, vix non possumus credere fabricam læsam jecoris causam solam fuisse mortis. Hic igitur nihil erroris existere potest. Symptomata per decursum morbi urgentia probe demonstrant, et hæc semel observata judicium futurum adjuvant. Non opus est ut attentionem lectoris intelligentis dirigam, nec ut memorem proprietatem, vel potius necessitatem, adhibendi rationem medendi celeritati, qua morbus accedit, accommodatam.

Pneumonia absque auxilio medici, cum omnibus signis prominentibus et monentibus, quæ judicium ejus adjuvet, non certius, quod ad eventum, est lethalis, quam Hepatitis, cui adest obscuritas, quæ, repeto, conatus nostros obtundat, et acquirat vires adeo multas inobservata, ut postea, quum se planius declaret, insuperabilis sit.

MISORBENDI FUNCTIONE;

IL GEORGII BAIRD.

OTHER PARTY OF THE SECURE AND PARTY OF PERSONS

FRO GRADE DOCTORIS.

PROPERTY ASSESSMENT OF THE PARTY OF THE PART

THOMAS HODGEIN

THE RESERVE THE PARTY OF THE PA

the second section of the second second

A STATE OF THE PARTY OF THE PAR

LINES OF PRINCIPLE PRINCIPAL

35777 VYN M